





I. N. J. C.  
DE

**PERSVASORIIS  
HUMANÆ SAPIENTIÆ  
VERBIS**

*ex I. Cor. II. 4.*

CONSENTIENTE REVERENDA FACULT. THEOLOG.  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
PRÆSIDE

**DN. JOH. FECHTIO,**

SS. THEOL. D. atq; PROFESS. P. CONSILIARIO CON-  
SISTORIALI, & DISTRICTUS ROSTOCHIENSIS  
SUPERINTENDENTE,  
PRÆCEPTORE ATQVE HOSPITE SUO  
MAXIME VENERANDO,  
RESPONDEBIT

**M. GEORG. RAPHELIUS,**

Scholæ Luneburg. Senat. vocatus CONRECTOR,  
IN AUDITORIO MAJORI,

*Ad diem 15. Aprilis, Anno MDCCII.*

*Hora 8. antemeridiana*



**ROSTOCHII,**

Typis JOHANN. WEPPLINGII, Acad. Typogr.

*vi.*

VENERANDI  
**MINISTERII LUNEBURGENSIS**

*Maxime Reverendo*

**DN. SUPERINTENDENTI**

Theologo Excellentissimo,

**PATRONO atq; FAUTORI suo**

Honoratissimo,

Ut & cæteris

*Plurimum Reverendis*

**CHRISTI PRÆCONIBUS,**

**Demonstratione potentia & Spiritus**

eum annunciantibus,

Hanc

**Persvasorium Sapientiæ humanæ verborum**

**Interpretationem,**

Animi

partim ob beneficia gratissimi,

partim ad officia promptissimi

**demonstrandi**

caussa

offert

**devotissimus**

**M. GEORG. RAPHEL,**

Præcellentissimo, Clarissimoque  
DN. M. GEORGIO RAPHELIO,  
S. P. P.

**S**upra sexennium est, optime, amicissimeq; RA-  
PHELI, cum Hamburgo adveniens in ædes  
meas receptus es, gratissimus mihi semper cha-  
rissimusq; hospes. Toto enim illo tempore, si  
dies numeravero noctesq;, non memini vel u-  
nam Te aut otio aut voluptati horam dedisse. Præterquam  
quod publicis privatisque Theologorum scholis, (Philo-  
sophus enim & Philologus ita adveneras, ut antequam  
Academicus fieres, celeberrimo PLACCIO Tuo teste, *com-  
mendari bonis omnibus ad docenda etiam Logica, Rhetorica &  
Philosophiam practicam pro doctore idoneo posses*) sedulo tuisti  
immerfus, ita vivebas musæo Tuo abditus, ut nunquam  
nisi vel libros legendo vel docendo alios deprehendereris.  
Hyeme pariter atque æstate primus omnium surgens è  
lecto, me pariter atque domesticos omnes, vigilis Galli ad-  
instar, excitasti ad labores. Cum Rabbino Judæo Ver.  
Testamenti sacra ex recutitorum commentariis longo &  
pertinaci labore familiariora Tibi reddere fategisti. No-  
vum Testamentum commilitonibus Tuis, Græcam æq;  
lingvam ac vernaculam Tuam callens, interpretatus ma-  
gna ex parte es ipse. In ipsius Theologiæ arcanis, Ecclesiæq;  
historia, quantum ferreâ tuâ & nunquam defessâ industriâ  
profeceris, ne de aliis doctoribus quidquam dicam, ego  
testari fide omnium optimâ possum, qui Lectionum me-  
arum, sive in auditorio publico, sive domi institutarum,  
acerrimus fuisti & perpetuus sectator. Quater Præses  
cathedras nostras, indulgente Philosophorum ordine,  
quod inter rariora Academiae nostræ decora non imme-  
rito numero, cum Præceptorum Tuorum adplausu vo-  
cales

cales

cales reddidisti. Nunc etiam Theologus disputas, & de argumento disputas, in cujus enodatione non minorem interpretandi Scripturas, ex solidis Philologiae praesidiis, artem, quam veritatis Theologicae notitiam, contra varios ejusdem corruptores masculè vindicandam, demonstras. Praeludia haec sunt majoris, quod in eruditorum posthac latissimo campo geres, conflictus, è quo non victor tantum eris gloriosus, sed brabeum etiam, tot laboribus Tuis conveniens, quod eruditionis & virtutum officinae, indefessae in studiis industriae & doctrinae ad singulare fastigium evectae, elargiri solent, reportabis. Primam ejus in publicum explicandae occasionem LUNEBURGUM Tibi aperuit, quod ut variarum, quibus animum Tuum probe imbuiisti, scientiarum gustum jamjam non sine jucundae voluptatis usu persensit: ita & fructum posthac metet, nunquam sibi poenitendum. Imò nisi omnino praesagia me fallunt, majoribus natus factusque es, totus occupatus semper in literis, totus ita incumbens universis virtutibus, ut nihil quicquam unquam habuisse juvenile, cunctaque in Te ad virile robur jamdiu comparata esse videantur. Verum non dabo inanem laudem auribus Tuis, quippe qui facto ipso, quae de Te assevero, ut approbasti haecenus, ita approbabis posthac constanter. DEUM verò veneror, ut laboribus imposterum Tuis uberrimo tœcundissimoque successu benedicat, Tuique conatus, qui non possunt non esse honesti, non minorem apud alios, quam fecerunt apud me haecenus, & amorem & aestimationem Tibi pariant. Ego certè affectum, quo Te complector, intimum flagrantissimumque non prius quam hac vitâ meâ deponam. Vale optimè, & quo Te fata vocant, libens promptoque animo sequere. Scr. Rostochii, die X. April. MDCCII.

JO, FECHT, D.

I. N. J. C.  
**PRÆFATIO.**



I quis ab illis, qui corrigendis Ecclesie moribus ante alios intenti videri cupiunt, requirat, quidnam esse causae putent, cum priora redempti orbis secula, tot excellentium Christianorum pietate atque charitate ferbuerint, nostra potissimum ætas frigida divinarumque virtutum contemtrix, ne quidem nomen ipsum pietatis integrum retineat: ei non dubito vel in primis illud responsum iri, nimirum in Concionibus eloquentiae studium, harum nobis miseriarum fontem esse atque originem. Nam argumenta quidem, quæ sua oratori ars suppeditat, si acute atque nervose rem colligant, negabunt convenire simplicitati Christianae, si ample atque copiose probent, vanam esse contendunt verborum. Maxime vero dispositionis anxia nimis observatione querentur rerum vim atque efficaciam enervari, dum non attendatur, quam utiliter quodque ad animae salutem dicatur, sed quam apte ad artis præceptiones atque minutias. Tum verborum quoque curam vehementer incusabunt, eamque turpem dicent esse sublimitatis affectationem, quæ tanquam lenociniis Oratores nihil aliud, quam facundiae suae elegantiam prostituunt, famam inde lucrumque captantes; qui tamen non suum, sed Christi negotium deberent agere, ejusque amorem oratione casta, simplici infucataque auditoribus suis semper & ubique commendare. Denique omne dicendi studium damnant, verbisque extemporalibus volunt nos esse contentos, cum ea divinitus nobis, ubi opus est, autore Spiritu Sancto in os ingerantur, cætera vero ex humana proficiscantur industria, quæ rebus spiritualibus non possit non esse exitiosa. Hancque causam tam probabilibus rationibus confirmare, tot exemplis exornare, tanta denique orationis ubertate perorare norunt, ut nescias, utrum magis indignandum sit, eloquentiam suis ipsiusmet viribus ita impugnari, an lætandum, non posse eam nisi à se ipsa vinci. Quantum vero justis, quantumve iniuri in hac insit querela, sub finem hujus dissertationis inquiremus. Interim quamvis

A

ab ho

## PRÆFATIO.

ab horum iudicio mea semper abhorruerit sententia, quam à Præceptoribus meis, piissimis sane pariter ac eruditissimis, acceptam teneo: negare tamen nolim, habere eos non omnino nihil verosimile, quod in accusando eloquentiæ studio sequantur. Id vero mihi quidem præcipue videtur esse Apostoli Pauli auctoritas. Cum enim hic *persuasoria humane sapientiæ verba*, à se prædicandæ cruci adhibita neget, ejus vero in concionando exemplum omnibus debeat esse propositum: facile quis ab arte Oratoria se patiat absterri, sinistra interpretatione deceptus. Quamobrem non ab re hunc mihi videor suscipere laborem, ut in sensum Paulinum horum verborum inquiram. Præterquam enim quod nihil à persona mea sum alieni facturus, quem ad orationis præcepta juventuti tradenda divina destinavit voluntas: etiam conscientiæ saltem meæ hac in parte satisfaciam, ut certo statuere possim, gratum me DEO præstare officium, quo in humanioribus litteris docendis fungar; omnesq; aditus & rimas, quantum poterò, obstruam dubitationibus & scrupulis, quos nunc equidem nullos sentio, facile tamen intelligo injici posse à Diabolo, qui nunquam à nostro nos munere avocare cessat. Id quod B. Præceptoris mei Vinc. Placcio contigisse memini, cui aliquando in mentem veniebat, auctore, ut ipse mox agnoscebat Diabolo, acerrimo illo publicorū officiorū olore, atque perturbatore vaferrimo, inutilem esse operam Deoq; invisam, quam impenderet demonstrandis præceptis Philosophiæ Practicæ, cujus ipsi professio publica erat commissa, cum sola nobis Dei voluntas in S. Litteris revelata, satis esse debeat, absque ulla naturalium obediendi vinculorum investigatione. Quare hic ultimus mihi erit labor Academicus, ut ad scholasticum, imprimis eloquentiæ docendæ laborem, tanto lubentius aggrediendum tantoque confidentius sustinendum memet excitem, cum consensu Pauli, veram & prudentem eloquentiam nequaquam reprobantis, tum approbatione Virorum Theologorum in hac Academia celeberrimorum. Quibus quod hætenus mihi Præceptoribus uti licuerit, sicut in maxima felicitatis parte pono: ita non minus gratum jucundumq; accidit, quod eorundem censuræ hanc Paulini loci explicationem, simulq; totā de dicendi arte sententiam meam subjicere possim, in iis, quæ correxerint, eruditior, quæ vero probaverint, confirmatior discessurus.

Textus!



## TEXTUS.

Καὶ ὁ λόγος μου, καὶ τὸ κήρυγμά μου ἔκ ἐν πνεύματι ἀνθρωπίνης  
σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως.

Verfio Erasmi Schmidii.

ET sermo meus, pradicatioq; mea non fuit in persuasivis hu-  
mana sapientia verbis, sed in demonstratione Spiritus ac  
potentia.

B. Lutheri.

Und mein Wort und meine Predigt war nicht in ver-  
nünftigen Reden menschlicher Weisheit/ sondern in Be-  
weisung des Geistes und der Kraft.

## CAP. I.

## VERI SENSUS INDAGATIO.

§. I. Καὶ) Uti Hebræorum Vau latissimi est significatus,  
ita ad illorum imitationem etiam N. Testamenti  
Scriptores suum καὶ plerarumqve connexionum vice u-  
surpare constat. Quare ex toto contextu & continuatione  
sermonis Paulini, sensum huic particulæ hoc loco con-  
venientem eruamus necesse est. Ex interpretibus enim  
nemo, quos mihi quidem videre licuit, eam attigit, præ-  
ter solum Benedictum Aretium, qui concludendi vim ha-  
bere putat, in Commentario hujus loci ita scribens: Καὶ  
intelligo hic συμπνευματικῶς: Videtur enim redire ad princi-  
pium, ac concludere exempli sui argumentum. Quod  
num fieri possit verosimile, tritissima illa, quam modo  
dixi, interpretandi via investigabo. Agitur ergo quatuor  
prioribus hujus Epistolæ capitibus, uti notum est, de Co-  
rinthiorum illa contentione, qua Petrus, & præcipue  
Apollo (uti colligere licet ex Act. XVIII 24. 1. Cor. I. ii. &  
III. 4). Paulum antecellere plerisq; forsan videbatur. Hinc  
magnæ invicem rixæ, ut in frequenti & otiosa urbe, oriri,  
& Ecclesiæ corpus in varias scindi partes, dum quisq; ejus  
nomine

A 2

nomine

nomine cenferi volebat, quem præ aliis sectabatur. Id vero Paul<sup>9</sup> ægre ferens, graviter eos ab his jurgiis dehortatur, testaturq; Cap. I. 17. *missum se à Christo, ut Evangelium prædicaret, non in sapientia sermonis, sive non sermone sapienti, id est, non multa eruditione comptaque facundia, sed nude simpliciterque.* Cujus divini consilii gravissimas affert rationes, inde usque ad finem Capitis, quas vero hic nihil attinet recensere. Ex hisce porro rationibus denuo infert eandem conclusionem, quam ante jam v. 17. posuerat, dum ita ait Cap II. 1. *καὶ γὰρ ἐλθὼν πρὸς ὑμᾶς ἀδελφοί, ἦλθον ἢ κατ' ὑπεροχὴν λόγου, ἢ σοφίας.* Ubi voculam καὶ γὰρ Beza & Er. Schmidius vertunt illative per: *igitur.* *Ego igitur quum venirem ad vos, Fratres, veni non cum eminentia facundie aut sapientie.* Idque omnino ex mente Pauli, & consuetudine sacri sermonis. Ita enim Christus, dum victus & vestitus sollicitudinem animis nostris eximere laborat Matth. VI 25 idque multis argumentis agit usque ad v. 30. eandem conclusionem de abjiciendis illicitis hujusmodi curis bis repetit, eidemque nova addit momenta, semel v. 31 & 32. iterum v. 34. Quo eodem ratiocinandi ordine & hic Apostolum uti, puto esse manifestissimum. Nam Cap. I. 17. ait, sine eloquentiæ adminiculo Christum à se fuisse prædicatum, ejusque rei mox reddit causas, iisque causis statim iterum illud ipsum adjungit Cap. II. 1. quod nempe neglexerit in annunciando Evangelio facundia & sapientia eminentiam; & quidem per ejusmodi particulam adjungit, quæ sæpe adhiberi solet, ubi unum ex altero colligitur. Ut Marc. X. 26. *καὶ τίς δύναται σωθῆναι;* *Quis igitur potest salvari?* Cum ergo (1.) moris esse videamus, ut in argumentorum tractatione conclusio subinde repetatur, (2.) hoc versu dicat Apostolus, se eloquentiæ viribus ad faciendam fidem usum non esse, capite vero

te vero

te vero antecedenti cauffas attulerit, cur iis uti non licere sibi statuerit, (3) ejusmodi connexionem adhibeat, quæ concludendi sensum omnino admittit, & deniq; (4.) ni is sensus hoc loco admittatur, cohærentia capitis hujus secundi cum primo appareat nulla, nec particula *quæ* alium usum sit habitura, quam ne hiulca modo videatur oratio, (cui interdum supplendæ eam adhiberi, equevidem non nego, interim tamen, ubi usum alium potiozem circumstantiæ, ut hoc loco, ostendunt atq; evincunt, utiq; is est præferendus;) hæc cum ita sint, cuius facile patet, quæ initio hujus Capitis II. dicuntur, ea consequi ex illis rationibus, quæ capite I. antecedunt. Quod ideo fuit annotandum, ut sciamus, quia noster locus ope versus secundi & tertii cohæret cum versu primo, quomodo versus primus cohæreat cum antecedenti capite. Quo ita totum hujus disputationis nexum animo possimus concipere. Ergo Paulus idem sibi demonstrandum hic resumit, quod jam Cap. I. demonstraverat, cur eruditæ orationis copia abstinerit. Hic vero, ut postea quæ sint persuasoria humanæ sapientiæ verba, distinctius cognoscamus, observandum est, duarum rerum excellentiam separatim, *sermonis* scilicet & *sapientiæ* a se amovere Paulum v. 1. *Non veni, inquit Paraphraste Erasmo, admiranda cujuspiam eloquentiæ viribus instructus, aut eximia quadam philosophiæ cognitione suspiciendus. Quam sapientiam & eloquentiam in nostro loco conjungit, dum prædicationem suam non versatam fuisse ait in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis. Cur vero ambobus caruerit, utriq; suam assignat caussam. Et primo quidem, quod profanæ sapientiæ auxiliis, five subtiliter disputando Christianam doctrinam adjutam noluerit, certo id à se consilio factum ait v. 2. & 2<sup>d</sup> *ex eia* & c. Non enim statui scire quicquam inter vos, nisi Jesum Christum,*

*eumq; crucifixum.* Deinde, cum versu primo non solum sapientiæ, sed & eloquentiæ mentio fiat, versu autem secundo caussa neglectæ sapientiæ contineatur, & versus tertius cum versu secundo per conjunctionem καὶ, ordinarie & primario similes propositiones connectente, cohæreat: necessario sequitur, versu tertio probare Paulum, quod ipse non venerit ad Corinthios cum sublimi facundia. Et verba aptissime ad id probandum congruunt. Habent autem ita. Καὶ ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ, καὶ ἐν φόβῳ, καὶ ἐν ἰσχύϊ πολλῷ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς. *Et ego cum infirmitate, & timore ac tremore multo apud vos fui.* Quo versu Paulus luculentum reddit testimonium, quam ipse non ignarus fuerit, quæ naturæ munera in Oratoris persona requirantur. Nam, ut ille pater eloquentiæ de se Isocrates scripsit ipse; pudore se à dicendo, & timiditate quædam ingenua refugisse, apud Cicer. de Orat. l. 2. init. p. 198. F. ita Paulus non quidem à dicendo, à dicendi tamen sublimitate se abstinuisse ait, ob corporis imbecillitatem, & animi quendam timorem. Summe vero necessaria esse in Oratore perfecto, & qui ὑπερχλιὸν λόγῳ affectet, non solum singulare quoddam animi robur, verum etiam non mediocrem corporis firmitatem atque elegantiam, rhetorum unanimi consensu docetur. Omnes hæ corporis dotes in eo, qui eloquentis personam tueri velit, insint oportet, vocis sonus, latera, vires, conformatio quædam & figura totius corporis, Cic. lib. 1. de orat. p. 169. inf. Quibus naturæ donis minus instructum fuisse Paulum, ex ejus adversariorum sermone colligitur, quem ipse ita memorat 2. Cor. X. 10. *Nam epistole quidam ejus (inquiunt) graves sunt & valide; sed presentia persone infirma est, & sermo ejus est contemptus.* Habes hic corporis infirmitatem, eadem voce, qua hoc loco, expressam, id est, laterum atque virium, quibus addicendum

dum

dum opus est, defectum. Habes vocem ejus parum sonoram atq; gravem, nihilqve auctoritatis habentem, λόγος ἐξ ἁγενήματον. Id enim hic loci est λόγος, quod germanice dicimus die Aussprache. Ut interpretatur Er. Schmidius. Et quamvis non inficier, qui Pauli existimationem imminuere laborabant, obtrectandi studio ea vero pejora jactasse: tamen non est credibile, eos sine omni causa, & sine omni veri specie hæc talia finxisse. Deniq; corporis ejus staturam multum ab Oratoris decoro abfuisse, auctor est Nicephorus, qui eum corpore parvo & contracto, & quasi incurvo atqve paululum inflexo fuisse, memoriæ prodidit l. 2 c. 37. Quod vero ad timorem, quo animus afficitur, & tremorem Pauli, quo corpus commovetur, attinet, nec illud de alia, quam de qua hic agitur materia, intellexero, nempe quatenus eum eloquentiæ maximum esse impedimentum, modo ex Isocratis exemplo vidimus. Cui & aliud summi Latinorum Oratoris addere placet, qui quanta non solum commotione animi, sed etiam totius corporis horrore, & quibus ex causis, ad dicendum accedere solitus fuerit, ita ipse narrat Divin. in Q. Cæcil p. 68. D. *Ita deos mihi velim propitios, ut, cum illius dicit mihi venit in mentem, quo die, citatoreo, mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco. Jam nunc mente & cogitatione prospicio, quæ tum studia hominum, qui concursus futuri sint, quantam exspectationem magnitudo iudicii sit allatura, quantam auditorum multitudinem C. Verris infamia concitatura, quantam deniqve audientiam orationi meæ improbitas illius factura. Quæ cum cogito, jam nunc timeo, quidnam pro offensione hominum, qui illi inimici inferique sunt, & exspectatione omnium, & magnitudine rerum dignum eloqui possim.* Idem accidit Crasso, apud eundem Cic. de orat. Lib. I. p. 170. F. ita hac de redifferenti. *Mibi etiam qui optime me dicit*

me dicit

me dicunt, quiq; id facillime atque ornatissime facere possunt, tamen, nisi timidae ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, pene impudentes videntur, tametsi id acciderenon potest. Ut enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, variosque eventus orationis, expectationemq; hominum pertimescit. Et paulo post de se ipso ita. Equidem & in vobis animadvertere soleo, & in me ipso sepiissime experior, ut exalbescam in principijs dicendi, & tota mente, atq; omnibus artubus contremiscam. Adolescentulus vero sic initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium *Q. Maximo* debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simul ac me fractum, ac debilitatum metu viderit. Quæ loca propterea tantum adduxi, ut intelligamus, metu perturbari & impediri in dicendo Oratores solere. Id vero quibus accidit, non est possibile, ut grandem sermonis characterem queant tueri, utpote ad quem maxima requiritur loquentis *αληθεροφεια*, cui nihil magis est adversarium, quam metus. Meticulosum autem fuisse Paulum cum primum veniret Corinthum, & præ timore atque tremore non satis libere locutum, locupletissimum habemus testem Lucam, qui ita de eo, novo Corinthi advena, scribit Act. XVIII. 9. *Dixit autem Dominus per visum nocte Paulo: Ne timeas, sed loquere, & ne taceo. Nam ego sum tecum; & nemo te invadet, ut tibi malefaciat. Utq; res hæc etiam fiat clarior, totam Apostoli argumentationem, terminis philosophicis in brevem summam colligam. Conclusio hæc est: Non usus fui apud vos neque Rhetorum inventionem, neque eorum elocutionem. Quam ita probat, ut loco majoris tacite præsupponat illud Philosophiæ Practicæ notissimum & verissimum axioma: Quod quis neque vult neque potest, illud non facit. Hinc*  
*Subsumit.*

subsumit. Atqui Ego rhetorum inventionibus uti nolui. Non enim statui scire quicquam inter vos, nisi Jesum Christum, eumque crucifixum. Eorundem elocutione uti non potui. Nam ego cum infirmitate & tremore multo fui apud vos. Ergo neque inventionem rhetorum neque elocutionem usus fui. Hæc omnia aptissime puto se invicem subsequi. Fuit autem eorum cohærentia necessario demonstranda propterea, quia quem nobis versum tractandum suscepimus, his antecedentibus per particulam *et* annectitur. De cujus significato nunc facile erit judicare, si modo verba ipsa textus inspiciamus. Continent autem manifesto eandem conclusionem, quæ versu 1. habetur. Unde fieri non potest, ut *et* vim copulandi hic obtineat. Ita enim non esset conclusio repetenda, sed conclusionis nova probatio afferenda. Ceu fieri videmus versu 3. quo idem probatur, quod versu 2. cum quo per *et* cohæret. Cum ergo non probationes ejusdem Conclusionis invicem connectantur, sed ipsa conclusio repetatur: satis cuilibet apparet, particulam *et* hoc loco habere sensum repetendi. Adhibetur autem *et* hoc sensu ita, ut non solum ante dicta repetantur, sed etiam novi quid insuper addatur. Quæ significatio ne insolita cuiquam videatur, duo exempla quæ nunc forte succurrunt, ex Cicerone annotabo. Inter quæ & nostrum exemplum licet illud sit discriminis, quod Paulus rem eandem verbis commutatis, & aliquibus interjectis, Cicero etiam iisdem verbis & immediate iteret: nihil tamen id ad sensum voculæ *et*. Uterque locus est in Catilin. I. p. 442. *Vivis, & vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audentiam.* Et paulo inferius. *Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives, & vives ita, ut nunc vivis, multis meis & firmis præsijs obsessus, ne commovere te contra remp. possis.* Et Pauli mentem, ut loquendi ratio magis fiat perspicua,

B

ita

italicebit efferre : Veni ad vos non cum eminentia facundia & sapientia, & veni ad vos, sive, veni autem ad vos (ceu commode potest reddi) non cum eminentia facundia & sapientia, ut fides vestra non consistat in sapientia hominum. Itaque eandem rem bis probat, primo ex causa efficiente, eaque duplici v. 2. & 3; deinde ex causa finali v. 5. Si quis tamen cum *Aretio* καὶ velit intelligere concludendi sensu, non multum erraverit, poteritque sententiam suam defendere tribus prioribus rationibus p. 4. & 5. adductis.

§. II. ὁ λόγος μὲν, καὶ τὸ κήρυγμα μὲν) Sermonem & prædicationem hoc loco non esse per hendiadyn sermonem, quo usus fuerit Paulus in prædicando Evangelio, ut nonnulli putant, sed duos separatos Evangelium annunciandi modos, ut *Anselmus*, *Grotius*, *Cornel. à Lapide*, *Salmeron* aliiq; interpretantur, ut nempe per λόγον intelligatur sermo privatus, per κήρυγμα vero prædicatione publica, inde demonstratur, quia (1.) λόγος in Novo Test. sæpissime usurpatur de colloquiis familiaribus ut Matth. V. 37. Marc. VIII. 32. Plura loca vide apud *Er. Schmid* in hac voce ad Joh. I. 1. signific VI. Quia (2.) κήρυγμα est Oratio publica, quæ ad plures habetur, Matth. X. 27. Quæ de re ita *Joh. Phil. Pfeiffer* Disp. de discrimine inter κήρυγμα & dogma lit. B. 3. κηρύγματα sive præconia, publice proponebantur à præconibus Gentilium, in Conventibus populi. Unde *apud Jul. Pollucem*, lib. IV. *Onomast.* c. XII. κηρύττειν exponitur inter alia, per τὸ ἐπαγγέλλασθαι τι δημόσιον promulgare seu annunciare aliquid publice: *Et juxta Flautum*, quem idem citat autor, allegato loco, præcones sunt οἱ δημόσια πρὸς κηρυκδομίμῃ, qui publice in Conventu populi promulgant. Et hinc etiam *Præcones* requirebant loca ampla & spaciosa, in quibus congregari poterat populi multitudo, qualia sunt fora & campi. Quia denique (3) Apostoli & in Templo & domatim Evangelizasse dicuntur Act. V. v. ult.



ult. & speciatim Apostolus Paulus de se id testatur, Ephesio-  
rum conscientiam ea propter ita appellans Act. XX. 18. &  
20. *Vos scitis, ut nihil subterfugerim eorum, quae vobis conduce-  
rent, quod dominus annuntiarem ea vobis, & docerem vos cum pu-  
publice tum privatim domi.* Quod si mentem Pauli verbis  
nunc usitatoribus exprimere velimus: *λόγος* est cum in-  
stitutio catechetica, quae elementa traduntur pueris aliisque  
hominibus rudioribus, ut capita doctrinae Christianae co-  
gnoscant atque memoriae imprimant, tum acroamatica  
atque accuratior rerum theologiarum tractatio, quae The-  
ologiae Studiosi, & alii, quibus otium est & ingenium, ad  
solidam scientiam informantur; *κηρύγματα* vero sunt Con-  
ciones Ecclesiasticae, ad commovendum magis auditores,  
quam ad docendum accommodatae, in quibus ea, quae de  
veritate Christiana, itemque de amore Dei, Christi, proximi,  
de precibus, de rebus atque officiis aliis privatim & in Scho-  
lis sumus edocti, ut fide constantiore tueamur atque opere  
ipso etiam exequamur, feriis obtestationibus flexanimis  
que cohortationibus rogamur atque excitamur. Huc non  
inutile fuerit adscribere annotationem ejusdem *Pfeifferi* ex  
Disp. citata lit. D. p. 2. *Κηρύγματα* praeconia apud Gentiles,  
*πίστεως ἕνεκα* h. e. fidei seu persuasionis gratia promulgaban-  
tur, ut promissa plebs ad agendum aliquod Reip. conducens im-  
pelleretur. Et mox, *Dogmata* vero tradebantur à Philosophis,  
suis discipulis *γνώσεως ἕνεκα* h. e. cognitionis gratia. Et paulo  
post. Petrus similiter Job. VI. 69. & Paulus 2. Cor. VIII. 7. & ad  
Ephes. IV. 13. inter *πίστιν* & *γῶσιν* discrimen faciunt. Denique pag.  
sequenti. Itaque in Ecclesia *κηρύγματα*, praeconia fidem concili-  
abant in animis audientium: *Dogmata* vero producebant sci-  
entiam, seu peritiam Theologicam. Illud requirebat praedica-  
tores: Hoc, doctores sive Theologos, qui demonstrative pro-  
cedunt in docendo. Unde non modo Apostolus 1. Cor. XII. 28. & Eph.

IV, II. Apostolos & Evangelistas (quibus competebar κήρυγμα sive predicatio fidei) contradistinguit doctoribus, qui ad docendum constituti sunt: Sed etiam in Ecclesia semper discrimen observatum est inter Homileticum, i. e. concionatorem seu predicatorem & Scholasticum seu Theologum. Adde etiam Catechetam. Et quamvis alii δόγματα dicant esse illa mysteria, quæ solis initiatis tradebantur: iidem tamen simul statuunt, κήρυγμα τὰ fuisse, quæ omnibus divulgabantur.

§. III. ἐκ ἐν περὶ τοῖς ἀνθρώπινος σοφίας λόγοις ) De voce περὶ τοῖς, suspecta, quod alibi nusquam legitur, variæ sunt interpretum sententiæ. Eusebius loco mox citando & Origenes lib. I. contra Celsum p. m. 48 & Philoc. c. 4. p. 25. nec non Syrus legerunt ἐν περὶ τοῖς λόγοις in svada sermonum. Grotius legendum putat περὶ τοῖς. Schrevelius in Lexico ait: Legere possis: non in persuasionibus, humanæ sapientiæ verbis; ut sit appositio. Erasmus Schmidius hæc annotat. περὶ τοῖς, pro περὶ τοῖς, vel περὶ τοῖς, persvasorius, alibi non invenitur. Beza notat, Eusebium initio prepar. Evangelicæ, ita hæc allegare, ἐν περὶ τοῖς ἀνθρώπινος σοφίας λόγοις. Et svadela sermonum humanæ sapientiæ. Quæ lectio haud dubie vera est. ἢ περὶ τοῖς, svada, svadela: Casu sexto, περὶ τοῖς, unde imperitus scriptor, facile potuit facere περὶ τοῖς ἐξ λόγων, λόγους. Nolui tamen quicquam mutare, quum in fidei doctrinam non impingat. Hæc Schmidius. Verum quod ad sensum perinde est, quæcumque lectionem amplectamur. Si quis tamen fide nostrorum exemplarium nitendum esse contendat, ei equidem non multum repugnabo. Sed rem ipsam aggrediamur, & primo quidem de ἀνθρώπινος σοφία videamus. Eam autem nihil aliud esse, quam Philosophiam gentiliū, quamvis à nemine putem facile in dubium vocatum iri, tamen ut magis etiam reddatur perspicuum, placet ad testimonium citare Ciceronem: Ita vero ille lib. 2. de offic. init. p. 496. A. Quid est enim, per deos, optabi-

optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius?  
 quid homine dignius? Hanc igitur, qui expetunt, philosophi  
 nominantur: nec quidquam aliud est Philosophia, si interpretari  
 velis, quam studium sapientiae. Sapientia autem est  
 (ut à veteribus philosophis aestimatum est) rerum divinarum  
 & humanarum causarumque, quibus hae res conti-  
 nentur, scientia. Omnes vero doctrinas, ex quibus quasi  
 partibus Philosophiae corpus constat, nolo hic commemo-  
 rare, ne de re non ignota enarrationem institutam non ne-  
 cessariam. Illud tamen in memoriam revocare non præ-  
 termiserim, quod huc maxime pertinet, Rhetoricam quoque  
 in Philosophiae partibus haberi, teste eodem Cicerone de  
 orat. p. 265. B. Hanc, inquit, cogitandi pronuntiandi que ra-  
 tionem vimque dicendi, veteres Graeci sapientiam nominabant.  
 Et hanc praecipue dicendi artem hoc loco sapientiae nomi-  
 ne à Paulo intelligi, hinc liquido constat, quia de ea sapien-  
 tia loquitur, ex cuius fontibus profluxisse negat sermonem  
 & praconium suum. Sermonis autem cum privatim tum  
 publice faciendi praecepta philosophica, sine dubio potissi-  
 mum in Rhetorum scholis traduntur. Et sunt ea quidem  
 non unius generis. Alia enim docent res invenire, alia  
 easdem certo ordine digerere, alia sermone eloqui, alia de-  
 niqve voce gestuque animare. Eaque singula ut sunt par-  
 tes sapientiae, ita & nomen ejus participant. Sed quam Rhe-  
 torices partem Paulus speciatim hic indicare voluerit, non  
 nisi ex voce *λογική* potest dijudicari. Ad cuius tamen vocis  
 considerationem antequam deveniamus, dicendum etiam  
 est, cur haec sapientia vocetur *ἀνθρώπινη humana*. Video enim  
 eos, qui hominem sibi jam penitus exuisse videntur, hu-  
 mani vocem probrosam putare, eaque fere convivii loco uti  
 solere. Qui si quidquid humanum est, id continuo ma-

B,

lum

lum esse judicant, etiam Magistratum, à D. Petro ἀνθρωπίνην κλίσην vocatum, 1. II. 13. in rerum malarum numerum, si quidem sibi constare velint, referant necesse est. Quod si vero respondeant, rebus civilibus, atque humanis quidem convenire hoc nomen, sed ignominiosum id esse rebus spiritualibus atque divinis, quibus nihil negotii esse debeat cum natura humana, cum disciplinis & artibus, cum rationibus & persuasionibus humanis: mirabor sane, quomodo id dicere possint, ut non simul Paulum lædant, quem ipsis illis, qui hæc dicunt, utique longe diviniorem, tamen dicere non pudet: ἀνθρώπινον λέγω, Rom. VI. 19. Denique τὸ ἀνθρώπινον in toto N. Test. alibi nunquam in peiorem partem accipitur. Non ergo necesse est ἀνθρωπίνην σοφίαν in malum sensum, necesse autem est in bonum interpretari, ob verum sequentem, ubi Paulus ait, propterea non per sapientiam humanam Corinthios ad Christum à se adductos, ne fides ipsorum niteretur sapientia hominum, sed potentia DEI. Quis hic credat Paulum loqui de mala sapientia i. e. calliditate, varietate, astutia, deceptione, aut si quod nomen est deterius, ei que præferre potentiam divinam? Quæ hæc prærogativa, quæ laus, quæ commendatio esset potentia divina, in verbo divino latentis, eam dicere securius præbere fidei nostræ fundamentum, quam falsæ persuasiones fraudesque humanae? Non enim solum veritas divina, sed etiam humana plus virium & plus firmamenti habet, quam falsitas. Id vero prorsus illustre & magnificentum est præconium divinae potentia, in ea tantum esse firmamentum stabilitatis fidei, quantum ne quidem in omni sapientia humana; quæ tamen nihil majus, nihilque divinius humano generi à natura datum, summa omnium, quæ ubique sunt, gentium bene moratarum consensus, & ipsius quasi

us quasi

us quasi naturæ vox est. Sapiencia ergo humana, five, ut verſu ſequenti vocatur, ſapiencia hominum, vi vocis ea eſt, quæ ab hominibus proficiſcitur, & ex principio humanæ rationis originem ducit. Et ex hac ſapiencia tanquam fonte profluunt illi λόγοι πηθοί, qui ſunt media, quibus ſapiencia utitur ad finem ſuum impetrandum, ſcilicet fidem. Nam Genitivus ἀνθρωπίνης σοφίας non eſt materiæ ſeu ob-jecti, ſed cauſſæ efficientis. Id quod per ſe, tum etiam inde patet, quod verſu ſequenti dicitur: *ne fides veſtra ſit in ſapiencia hominum*, i. e. ne fides veſtra oriatur ex auditu ſapienciæ, quæ per ſuos λόγους πηθός fidem vobis faciat, tanquam cauſſa efficiens per ſua media. Facit enim ſapiencia humana, five Ars oratoria (quam ſapienciæ partem hic intelligi, jam ante fuit demonſtratum) fidem ope πηθῶν λόγων, tanquam instrumenti. De hiſce igitur λόγοις nunc videamus, & quidem tanto majori cura, quia in iis præcipuum totius hujus diſputationis momentum ſitum eſt. Jam primum hoc nobis paulo ante effectum meminiffe debemus, ſub ſapienciæ nomine hic præcipue de eloquentia ſermonem eſſe, (utpote *cujus, ſicut reliquarum rerum, ceu ait Cic. de Orat. 360. in f. fundamentum eſt ſapiencia, & Horatius: Dicendi recte, ſapere eſt & principium & fons; Ante enim res ipſas ſciamus oportet, quam de illis loqui iſtituamus;*) λόγοις vero πηθός eſſe Eloquentiæ media. Eloquentiam enim notum eſt per certa media ad finem ſuum, nempe faciendam fidem, tendere, eaſque eſſe inventionem, diſpoſitionem, elocutionem & recitationem. Hic jam quænam ex hiſce mediis à Paulo per λόγους πηθός intelligantur, primaria eſt quæſtio. Modulandæ orationis geſtuumque gubernandorum artificium iis ſignificari, quamvis λόγος ab ipſo Paulo 2. Cor. X. 10. de ſono vocis uſurpetur, nimis

nimis

nimis frigidum videtur; nec satis apte Paulus ita ratiocinaretur: Nolui vos soni gestusque suavitate permulcere, ne fides vestra consistat in sapientia hominum, i. e. in hac soni gestusque suavitate. Nihilominus enim potuisset in sapientia hominum consistere ipsorum fides, si eam adhibuissent rationibus atque argumentis Pauli, ex sapientia humana depromptis, voce quantumcunque absona, rudique corporis motu prolatis. Ad sermonis compositionem atque elegantiam indicandam, itidem vocabulum  $\lambda\gamma\sigma$  adhibetur, & quidem hoc ipso capite v. 13. ut mox explicabitur. Sed eo ipso fieri non potest, ut etiam hoc loco de eadem elocutione agatur, cum id quidem tautologiae vitium sit futurum, ceu itidem mox clarius patefcet. Collocandæ vero orationis modum non memini voce  $\lambda\gamma\sigma$  denotari, & si maxime denotaretur, tamen is sensus Paulo hic in mentem venire non potuit, cum dispositio non quidem parvi sit ad persuasionem momenti, minoris tamen, quam reliqua media. In contentione autem sapientiae humanæ cum potentia divina, non illius pars imbecillior cum hac est comparanda, sed quæ ad excitandum assensum maximas habet vires. Præterea plane nihili foret sermo hujusmodi: Præscriptum Rhetoribus ordinem in orationibus meis non observavi, ne fides vestra consistat in sapientia hominum i. e. in hujusmodi ordine. Relinquitur ergo, ut  $\lambda\gamma\sigma$  pertineant ad inventionem. Quæ, definiente Vossio, est *excogitatio argumentorum ad persuadendum idoneorum*, i. e.  $\mu\theta\alpha\upsilon\omega\upsilon$ , vel, ut Apostolus ait,  $\mu\theta\omega\upsilon$ . Argumenta vero Rhetores tradunt alia esse inartificialia, sive testimonia, alia artificialia. Hæc porro dividunt in  $\lambda\gamma\sigma$ ,  $\eta\theta\eta$  &  $\pi\alpha\theta\eta$ . Et hos ipsos  $\lambda\gamma\sigma$  hic intelligi, prorsus dubitandum non est. Cujus sententiæ rationes breviter recensebo. Prius tamen de voce  $\mu\theta\theta\omega\iota\varsigma$  vel  $\mu\theta\theta\omega\iota$ , de cujus scripti

scripti

scriptione jam sub initium hujus §. vidimus, illud unicum addamus, quod ad ejus sensum; eum optime posse colligi ex voce ei contraria. Ut vero oculis cerni possit, quæ quibus opponantur, placet totam Pauli sententiam hoc schemate repræsentare.

Opponuntur ut causæ principales *ἀνθρώπινη σοφία & πῶμα,*  
 ut causæ instrumentales *πῶμα & ἀποδείξις,*  
*λέγοι & δύναμις.*

Quas oppositiones, ne quid in iis remaneat oblcuri, paucis illustremus. Duo sunt principia, ex quibus petuntur cum argumenta tum verba ad fidem faciendam apta, Sapientia humana & Spiritus DEI. vide v. 12. & 13. Adjungitur quidem Spiritui Sancto *δύναμις*. Ea tamen non nisi causa est instrumentalis. Est enim hæc *δύναμις* nihil aliud quam Evangelium de Christo, utpote in quo annunciando & sermo & prædicatio Pauli occupabatur. Quæ significatio inter alia constat ex hac Epistola, Cap. I 24. & Rom. I. 16. Indicaturque hac voce maxima & efficacior omni arte humana vis verbi divini, quod nos *trahit non morali tantum persuasione, quanquam & hæc magno verborum argumentorumque pondere adhibeatur, sed vi quadam superiore, physica analogâ, uti scribit Magnif. Dn. Præses Disp. de Gratia §. 19. conf. Dannb. Hodof. p. 850.* Est ergo *πῶμα* & *ἡ δυνάμεις* pro *δυνάμεις πῶμα*. Ita Act. X. 38. Jesus dicitur unctus Spiritu Sancto & virtute, id est, virtute Spiritus Sancti. Utrumque hoc principium, sive utraqve causa principalis, suis utitur ad faciendam fidem instrumentis. Et Spiritus Dei quidem utitur *ἀποδείξει*, sive demonstratione, sapientia vero humana *πῶμα*, sive probabilitate. Habet quidem & humana sapientia ad alias res probandas argumenta apodictica, sed credendum esse in Jesum Nazarenum, eumque crucifixum, nulla unquam, etiam ab ingeniosissimo, poterit excogitari

C

excogitari

excogitari demonstratio, quæ prorsus animum nostrum convincat de fiducia in hunc Jesum collocanda, nec quidquam nobis dubii relinquat. Interim tamen nonnulla inveniri posse, quæ verisimiliter eam in rem dici queant, nemo negabit, cui non ignoti sunt inventionum loci oratorii. His autem veri tantum speciem habentibus argumentis, probabilem reddere prædicationem suam Paulus noluit, ne fides Corinthiorum vacillanti hujusmodi fundamento superædificaretur; sed rem simpliciter proposuit argumento tamen perfectissime demonstrativo, nempe verbo & testimonio divino, probans. Nam uti ad *περὶ τῶν λόγων* pertinent *λόγοι*, five rationes probabiles: (Quamvis enim sine dubio etiam *περὶ τῶν λόγων* consistere possit in argumentis necessario veris, cum & verbum *περὶ τῶν λόγων* de persuasione fidei in Christum infallibili existet Act. XXVIII. 23. *περὶ τῶν λόγων αὐτῶν τὰ περὶ Ἰησοῦ*: tamen hic in oppositione ad *τὸ δόξασαι* non nisi probabilia potest complecti) ita ad *δόξασαι* pertinet *δυνάμεις* five verbum & testimonium divinum. Quæ accuratissime possunt intelligi ex Logicorum doctrina. Hi enim argumenta in universum dividunt in demonstrativa & probabilia. Hæc compræhenduntur sub *περὶ τῶν λόγων*, illa sub *δόξασαι δυνάμεις*. Ut ergo rem in pauca contraham, *περὶ τῶν λόγων ἀνθρώπινης σοφίας* est probabilitas argumentorum, quæ inveniuntur à sapientia humana, *δόξασαι δυνάμεις πνεύματος* est demonstratio verbi divini, quod suggeritur à Spiritu Sancto. Nunc tandem etiam causas afferamus, cur vox *λόγοι* necessario hic sit de argumentis interpretanda.

(1.) Quia *λόγοι* hoc sensu usurpantur, cum de re Oratoria sermo est. Uti constat ex Rhetoricis.

(2.) Quia elocutio (de qua præcipue hæc verba accipi solent,) hic locum habere nequit propterea, quod versibus sequen-

sequen-



sequentibus agatur non de verbis, sed rebus ipsis usque ad v. 13. Quo versu demum de elocutione loquitur Apostolus, dum ait: Ἄ (scil. illa, quæ ex Spiritu Dei scimus à DEO nobis esse donata v. 12.) καὶ (etiam, quæ particula indicat, aliud quid à præcedentibus addi) λαλῶμεν, quæ vox proprie exprimit elocutionem. Nempe ut inde ab initio capituli edisseruit Paulus, quod res prædicationis suæ hauserit non ex sapientia hominum, sed ex Spiritu DEI: ita nunc ait, etiam verba se non à sapientia humana, sed ab eodem Spiritu didicisse: *Quæ etiam loquimur, non verbis quæ docet humana sapientia, sed quæ docet Spiritus Sanctus, spiritualibus (scil. verbis, nam de his sermo est) spiritualia συγκεῖνοντες explicantes*, ut eleganter hanc vocem interpretatur *Heinsius*. Jam cum rerum, five argumentorum, non nisi illa duo sint genera, quæ diximus, in artificialia nempe, five testimonia, & artificialia, testimonia vero lub hisce λόγοις non possint intelligi, cum Paulus disertis verbis dicat v. 1. se annunciaisse Corinthiis testimonium DEI: restant sola argumenta artificialia, & quidem λόγοι ex ratione primo loco adducta.

(3.) Quia λόγοι & δύναντις invicem opponuntur. Ut ergo δύναντις est verbum DEI, non quoad voces, sed quoad res in eo contentas: ita & λόγοι res five rationes sint necesse est. Quo cum potentiâ divinâ componatur, quidquid in sapientiæ humanæ persuadendi facultate est potentissimum. Nihil autem potentius est probationibus, quæ propterea ab *Aristotele* vocantur σώματα πίστεως Rhet. 1. 1. 6. *Corpus probationum, qua voce*, Schradero interprete, per metaphoram entymemata appellantur, quod ut robur in corpore est & in lacertis, non in externo ornatu, in casside, in plumis, aut armorum fulgore; quæ quidem terrere hostem possunt, sternere non possunt: ita præcipua vis persuadendi in rationibus ex

*ipsa re petitis consistit, non in illis ad iudicem, aut adversarium appendicibus.*

(4) Quia *πρὸς* & *ἀπὸδείξις* sibi opponuntur. Quare sicut *ἀπὸδείξις* versatur circa argumenta apodictica, ita sine dubio etiā *πρὸς* versabitur circa argumenta *πιθανά*. Deniq̄  
 5. Si solum sermonis ornatum Paulus intelligeret, non puto, dixisset versu sequenti, propterea se *λόγοις* non fuisse usum, ne fides iis, scil. verborum elegantis, inniteretur. Impossibile enim est, ut fides adhibeatur solis tropis & schematibus, nisi res ipsæ saltem sint probabiles. Quare cur id vereretur Apostolus, periculum nullum fuisset. Si vero argumenta probabilia usurpasset, quibus Corinthii ad tempus fuissent persuasi, omnino metuendum erat, ne postea animadversa vel ab adversariis ostensa infirmitate illorum argumentorum, fidem omnem abjicerent, & reliqua etiā, quantumvis apodictica, suspecta haberent.

## CAP. II.

### FUNDAMENTA REFUTANDI SENSUM FALSUM.

§ I. **C**onstitueram e quidem, eorum loca allegare, qui his Pauli verbis ad eliminandam ex Concionibus sacris omnē orandi artem abutuntur: sed tempore & inquirendi otio destitutus, fundamenta tantum refutationis ponam, eaque desumam ex illo ipso Apostoli exemplo, quod ubiq̄ eloquentiæ studiosis objicere solent, quos propterea corruptores esse Christianismi vociferantur, quod humanis viribus putent agi posse divinum opus; cum Paulum imitari deberent, qui rejecta omni sapientia humana, sola Spiritus S. ope tanta præstiterit, quanta nemo unquam. Honestior oratio est. Decet enim, quin imo necesse est, imitatores esse Apostolorum, qui eorum sunt successores. Sed  
 non

non minus necesse est, qui eos velit imitari, etiam atque etiam considerare, ne per imprudentiam in *κακοζηλιος* vitium prolabatur. Videndum ergo quæ de re, quibus auditoribus, quibus adversariis, quo loco, quo tempore Paulus fuerit locutus. Nam, ut ex his saltem quod maxime perspicuum est, attingam, non sane perinde est, ad rudem an eruditum dicas. Illi enim lacte, huic solido cibo opus est, Hebr. V. 12. Unde male Paulum imitaretur, qui infantibus ea traderet, quæ ille adultos docuit. Non minus momenti situm est & in reliquis circumstantiis, quarum nonnullas non inutile erit hic annotare.

§. II. Et quidem ad *materiam* si attendamus, facile videbimus, quantum illi à vero aberrant, qui de quacunque re nobis sit dicendum, ad eam sermonis formam, & ad illud argumentorum genus nos adstringere volunt, quo Paulus non ubique, sed in prædicanda cruce Christi usus est. Alia enim materia aliam postulat orationem. Neque Paulus persvasoriis humanæ sapientiæ argumentis se usum negat in omni sermone suo, neque in omni prædicatione sua, sed tunc, cum Christum, eumque crucifixum v. r. annuntiaret. Idque propterea, quia hæc materia ita est comparata, ut ratio humana eam quidem probabili aliqua specie pingere & commendare possit, nullo autem modo solide demonstrare. Probabile vero, neque satis firmum fidei in Christum fundamentum jacere, nequaquam est periti architecti, qualem se Paulus fuisse testatur 1. Cor. III. 10. In hac ergo doctrinæ parte nemo prudens ab hoc Apostoli exemplo discesserit. Sed idem nobis exemplum obtrudere velle in aliis materiis, in quibus nec Paulus ipse eandem dicendi rationem secutus est, id vero hominum est parum considerate præcipientium, nec ullo modo hic tacite ferendum. Fieri nempe videmus à quibusdam eloquentiæ hostibus

hostius, ut quidquid ipsis in oratione non probatur, id contemptim atq; fastidiose persvasoria humanæ sapientiæ verba esse dicant, quibus inanem reddi crucem Christi, nec fidem posse stabiliri Paulus scribat. Quamobrem uno alteroq; exemplo probemus, Paulum non ita à sapientia humana abhorruisse, ut illi nimis delicate sancti, sed ex ea subinde deprompsisse ejusmodi argumenta, quæ ad rem, quam tractabat, facere arbitrabatur. Quid enim? Annon argumentum ex Philosophia Practica petitum est? quo Corinthiis persuadere conatur, ut comam tondeant 1. Cor. XI. 14. *Anne Natura quidem ipsa vos hoc docet? quod Viro quidem, si comatus sit, dedecori sit.* Annon ad Theologiam naturalem pertinent? de quibus agit Cap. I. & II. Epist. ad Rom. & Act. XVII. 26. & 27. dum ait: *Definit præstituta tempora, & positiones terminorum in habitationis eorum, ut quaerent Dominum, si forte palparent eum, ac invenirent.* Nam eadem fere iisdem verbis habet Cicero in fine libri I. de Legibus. *Idemq; cum cælum, terras, maria omniumque rerum naturam perspexerit, eaq; unde generata, quo recurrant, quando, quomodo obitura, quid in iis mortale & caducum, quid divinum æternumq; sit, viderit, ipsumq; ea moderantem & regentem pene prebenderit &c.* Annon ex humana commerciorum consuetudine ratiocinatur? Gal. III. 15. *Fratres, (secundum hominem loquor) hominis licet Testamentum aliquod sit, tamen, si lege ratificatum fuerit, nemo irritum facit illud, aut aliquid ei superaddit.* Deniq; annon sæpe ejusmodi similitudinibus, quas ratio humana suggerit, rem & illustrat & persuadet? Gal. IV. 1. 2. hæc ex Societatis paternæ natura dicit: *Quamdiu beres insans est, nihil differt a servo, &c.* Cap. V. 9. *ex rephysica & domestica hoc simile profert: Exiguum fermentum totam massam fermentat.* Nec tantum in argumentis, quæ ad quamque rem persuadendam

dam

dam essent accommodata, ex humana sapientia invenien-  
dis ita prudentem se gessit, verum etiam in iis pro cuiusq;  
necessitate & dignitate persvalorie eloqvendis. Exem-  
pla & submissæ, & mediocris & grandis dictionis Paulinæ  
plurima jam collegit *Augustinus* de Doctr. Christ. lib. 4.  
Cap. 20. Et de ultima quidem specie hæc affert. *Agit Apосто-*  
*lus* (2. Cor. VI. 2.) *ut pro evangelico ministerio patienter mala*  
*hujus temporis, consolatione donorum DEI, omnia tolerentur.*  
*Magnares est & granditer agitur, nec desunt ornamenta di-*  
*cendi.* Ecce, inquit, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies  
salutis. Adscribit deinde integrum locum Apostoli, figuris  
dictionis atq; sententiarum exornatissimum, usq; ad v. 10. Tum  
hæc addit: *Vide adhuc ardentem:* Os nostrum patet ad vos, o  
Corinthii, cor nostrum dilatatum est: *Et cætera, quæ per se,*  
*quæ longum est.* Itemq; ad Romanos (Rom. VIII 28.) agit, ut  
*persecutiones hujus mundi caritate vincantur, spe certa in ad-*  
*juutorio Dei.* Agit autem & granditer & ornate. Scimus, in-  
quit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in  
bonum &c. usq; ad finem capituli. Ex quibus omnibus  
illud efficitur: Argumenta Sapientiæ five rationis hu-  
manæ, adhiberi non oportere, quando fides in Christum  
est persvadenda, cum eam in rem ex naturæ lumine non  
nisi probabilia possint afferri, in probabilibus autem fides  
non possit fundari; Eadem vero & posse & debere adhiberi  
in aliis materiis, ad quas demonstrandas suus etiam ra-  
tioni humanæ est locus. Id quod & Paulum fecisse, ex  
locis ejus plurimis jam fuit ostensum. In utroq; igitur  
Apostoli exemplum fideles Ministros imitari convenit, ut  
proben, demonstratione quidem Spiritus & potentiæ  
five verbi divini atq; testimonio DEI de Jesu, eum esse  
Filium Dei & pro nostra salute passum, demonstratione v;  
sapientiæ humanæ etiam res alias, quæ sub eam cadunt.

§. III.

§. III. Ut evidentius etiam pateat ratio, cur Apostolus solam demonstrationem Spiritus & potentiae praedicaverit, *Auditorum* quoque ejus observanda est *conditio*. Ea vero in hac ipsa Epistola describitur. Erant nempe Corinthii, cum Paulus ad ipsos veniret, adhuc ethnici, vel ethnicis etiam duriores Judaei, nec quenquam hactenus de Christo JESU concionantem audiverant. Paulus ergo, ut alias *cum ambitione quadam praedicabat Evangelium*, non ubi iam nominatus erat Christus, (*ne super alienum fundamentum edificaret*), sed in gentibus Christum plane ignorantibus, Rom. XV. 20. ita & Corinthi primum Evangelium divulgabat. Hinc ita scribit hujus Epistolae Cap. III. 10. *Ceu peritus Architectus fundamentum posui, alius autem superstruit*. Et quale id fundamentum sit, mox declarat. v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Jesus Christus*. Cap. IV. 5. *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*. Et Cap. III. 1. *Non potui loqui vobis ut spiritualibus, sed ut carnalibus, ut infantibus in Christo, Lactis vos potui alui, & non cibo solido*. Inter hos ergo auditores, quibus *doctrina initij Christi*, ut loquitur Epistola ad Hebr. VI. 1. sive prima elementa doctrinae de Christo erant instillanda, necesse omnino erat, ut de nulla re alia quam de Christo sermonem haberet, & ita se gereret, quasi nihil sciret, nisi Jesum Christum eumque crucifixum, ceu ait v. 2. hujus Cap. utque eum non aliis, quam apodicticis testimonii divini argumentis annunciarer, quibus immota stare posset illorum fides, utpote nunc primum implantanda. Imitabuntur ergo Paulum in primis Catechistae, quibus rudis aetas in principiis religionis Christianae est instituenda. Concionatoribus vero, qui ad populum non ignarum Caput doctrinae, verba faciunt, in primis si de rebus ad praxin Christianismi pertinentibus agant,

de tuendâ in agnito Jesu Christo spe ac fiduciâ, de charitate, de temperantia, de patientia, de cœteris virtutibus, alia debent esse proposita exempla, q̄valia sunt illa §. 2. modo ab Augustino allegata. Ad cuiusmodi materias persvadendas cum plurimas demonstrationes suppeditare possit sapientia humana, quidni eas vel ipsimet inquiramus, ad mandatum Pauli Philipp. IV. 8. *Si qua virtus, si qua laus est, hæc cogitate*, vel ab aliis, etiam ethnicis, jam inventas adhibeamus? Cum enim Christus in alia re ad prudentem injustitiæ administratorem nos ableget, quidni etiam philosophos atque oratores in iis, quæ sapienter atque prudenter dixerunt, nobis imitandos esse putemus?

§. IV. Sed cum Paulus de probabilibus, non de apodicticis argumentis loquatur, ut in explicatione fuit ostensum, illud video adhuc posse quæri: *Num Doctori atque Concionatori Christiano, etiam probabili tantum oratione uti liceat?* Quæ de re minime dubitandum est, siquidem circumstantiæ videantur ejusmodi orationem ferre posse, vel requirere. Id quod iterum edocemur Pauli exemplo, Athenis concionantis Act. XVII. 22. seqq. Cui orationi non possum quin paululum immorer, quod ex ea ipsam praxin perspicere liceat illius methodi, quam Paulus apud ethnicos primum ad Christum convertendos, itaque etiam sine dubio apud Corinthios usurpavit, in nostro autem loco theoretice tantum describit. Primo quidem affert argumenta ex sapientia humana, sed apodictica v. 24. & seqq. Tum etiam non veretur probabile quoddam addere, quod ad commovendos Atheniensium animos maximi videbat fore momenti, nempe testimonium alicujus Poëtæ, qui dixerat: *Hujus enim etiam progenies sumus*. Nec id testimonium modo allegat, verum etiam ex eo porro argumentatur v. 29. *Genus ergo quum simus Dei, non debemus existimare, auro, aut argento &c. Nummen esse simile*. Tandem vero ubi ad doctrinam de Christo devenit, solidissimam adhibet demonstrationem spiritus & potentiæ, a resuscitatione Christi petitam. Quamobrem etiam probabilias argumentorum sapientiæ humanæ, quæ ab auditore æstimari & pro veris haberi sciamus, non omnino erit fugienda, vel ipsius Pauli exemplo. Nam quamvis Arnoldus *Abbildung der ersten Christen* lib. 2. p. 288. hoc exemplum ita limiter: *Die jenigen konnten*

**D** *und*

und mussten nur Pauli Exempel folgen/welche auch Heiden vor sich hatten/und sie aus ihren eigenen Schriften überzeugen mussten: illud tamen immotum manet: Uti Paulo licitum fuit citare testimonium Poëtae, Auditoribus suis probati: ita & aliis licere undecunq; prudenter seligere ea argumenta, quibus auditores suos ad pietatem sperent posse adduci. Cumque hoc loco auditores discernendos agnoscat Arnoldus, quidni ego de nostro loco, quem semper contra eloquentiam allegat, verba sua ipsi reddam. Diejenigen können und müssen nur Pauli Exempel folgen/welche auch Heide oder andere unwissende vor sich haben/und sie durch Beweisung des Geistes und der Kräfte überzeugen müssen/dass der gekreuzigte Jesus der Welt Heiland sey/welches durch worte Menschl. Weisheit nicht gründlich geschehen kan.

§. V. Tantum ergo abest, ut Paulus veram, masculam & prudentem eloquentiam damnaverit, ut potius ipsius exemplo ad ejus summum studium debeamus excitari. Nisi forte putamus, nobis oscitantibus & otiosis persuadendi facultatem infusum iri, quam Paulus non sine labore sibi acquisiverat, licet deinde, postquam conversus fuerat, specialis etiam divina gratia accesserit. Ita enim ejus pueritiæ studia enarrant Magdeb. Cent. 1. lib. 2. Cap. 10. p. 587. *In pueritia eum philosophiam & artes dicendi didicisse, inde colligitur; quod Strabo, qui plus minus 30. annis ante Paulum floruit, de Tarsensibus memorie prodidit, tantum eis circa Philosophiam ἡ τὴν ἀρχαίαν ἐγκύκλιον ἀπυσσῶν παιδείαν studium fuisse, ut Athenas & Alexandriam & alias Academia: superarint. Deinde eum evoluisse veterum Poëtarum monumenta, ut Arati & Epimenidis & Menandri & aliorum, ex eo liquet, quod eorum sententias in suis concionibus & epistolis citat Act. 17. 1. Cor. 15. Tit. 1. Hieronymus etiam Paulum Græcam linguam ab ineunte ætate imbibisse, testatur in epist. ad Algasiam. Si cui tamen contendere placeat: Paulum nunquam eloquentiæ operam dedisse, equidem, quamvis contrarium defendi posse videam, non multum pugnabo. Illud tantum addam: Sicut ipsi volunt, eum eloquentiæ artem non didicisse, ita ipse testatur, se Evangelii quoque doctrinam a nemine didicisse. Ergo in hac etiam parte eum imitentur. Dicant cum ipso, si possunt, ex Gal. I. 12: *Non ego ab hominibus accepi Evangelium, neque edoctus sum, sed per revelationem Jesu Christi. Aut cum reliquis Apostolis etiam linguarum donum, æque ac eloquentiæ, sine sua opera a Deo exspe**

spe



spectent. Sin vero hic se sentiunt Apostolis esse dissimiles, fatean-  
 tur necesse est, fuisse quædam ex singulari gratia illis a Deo donata,  
 quæ nobis ab eodem laboribus venduntur. Et utilem esse dicen-  
 di laborem atque exercitationem, Deumque ei esse adiumento, a-  
 deo manifestum est, ut Arnoldus quoque negare non possit, dum  
 eo ipso loco, quod mireris, quo contra eloquentiæ studium scri-  
 bit, quasi oblitus sui, illud in Attico Episcopo Constantinop. laudat.  
 Ita enim ait Abbild: der ersten Christen l. 2. p. 281. Und daher geschah  
 es nun/das die erleuchteten Lehrer ihr predigen und lehren nicht eben  
 auff ein langwieriges ängstliches und mühsames studire und auswendig  
 lernen ankommen ließen. Denn obgleich kein Verständiger verwegen seyn  
 wolte/wie die wilden wüsten Schreyer/ und Speyer/ nach Lutheri  
 Beschreibung/die sich auf natürliche Fertigkeit ihrer Zunge verlassen/und  
 nichts als Ehre und Menschengunst bey ihren predigen suchen: So lief-  
 se sich doch der Glaube derer rechtschaffenen vornemlich mit der Gnade  
 genügen/darinne sie stunden; und sie schöpfften aus der Fülle Gottes/was  
 ihnen nöthig wahr/ wo sie auch im Fall der Noth ex tempore oder ohne  
 vorhergehende sonderbare meditation lehren mußten. Denn gewiß-  
 lich ließe der Herr sie da nicht leer von seinem Lichte und dessen Schein/  
 wo es seine Ehre betraff/ und der Menschen Heil daran lag. (Jam,  
 quæso, quod addit exemplum quam his contrarium sit, attendatur)  
 Dazu denn die Übung und lebendige Erfahrung ein merckliches beytrag:  
 Wie man also von Attico einem Bischoff zu Constantinopel weiß/  
 das er erslich mit grosser Mühe geprediget/hernach aber ei-  
 ne solche Freudigkeit im Reden erlanget habe/ da er im wenigen treu ge-  
 wesen/das er ohne vorhergehende meditation offte gelehret. Similes con-  
 tradictiones sunt, ibid. p. 285. Insgemein war diß der Lehrer Vor-  
 sichtigkeit/das sie/wie die H. Schrift selber thut/sich im Lehren nach  
 eines jeden Fähigkeit gerne richteten/ und gleichsam aus der Höhe ihrer  
 Erkänntnis zu den Schwachen und Einfältigen herunter stiegen. Sed ea-  
 dem quoque Cicero, Quintilianus, aliique Rhetores & gentiles &  
 Christiani præcipiunt. Cur ergo hos plane rejicit? in Kirchen-  
 und Reger Historie part. 2. p. 175. Ita abbildung lib. 2. p. 287. scribit.  
 So scheuerten auch die rechten Lehrer sich nicht / dem einfältigen Stylo  
 der Apostel nachzufolgen. Num ergo quisquam eorum, qui elo-  
 quentiam sacram docuerunt vel docent, unquam præcepit, ut  
 vereamur Apostolicam styli simplicitatem imitari. ? Sane quos mi-  
 hi le-



Sächsische Landesbibliothek –  
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

<http://digital.slub-dresden.de/ppn33554097X/34>

gefördert von der **DFG**  
Deutschen Forschungsgemeinschaft



